



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Bene Meditandi

Berzetti, Nicola

Coloniae Agrippinae, 1658

Modus exercendi sensus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56496)

endis successivè omnibus illis personis, actionibus, rebus, &c. circa quas convenienter naturæ suæ potest operari: deinde applicabit auditum, ad verba & alia sibi propria postea Odoratum, & Gustum, & Tactum, singulos circa sua objecta, percurrendo quantum fieri potest, universa.

Modus exercendi Sensus.

Modus hoc exercitiū perficiendi erit, ut quis sibi proponat, ac si revera illud videret, vel audiret vel odoraret, vel gustaret, vel tangeret, & postea brevem discursum desuper faciat,

elicendo inde fructum aliquem pro seipso ad movendam voluntatem. E. G. applicaturus sensus mysterio incarnationis¹, proponat se videre Patrem Æternum, qui de excelso cœlorum magna attentione, & vultu compassionis pleno respiciat homines, qui in infernum præcipitantur; postquam per imaginationem viderit per intellectum intra se dicet: *Nemo fixis oculis intueri solet rem aliquam, nisi illa delectetur, vel urgeatur; nec compassionem monstrare solet, nisi cor habeat caritativum & flexile itaque Deus tam attentè & vultu tam misericorde homines respiciens, satis ostende se amare homines, illis delectari, ipsorum*

se miseris urgeri tacto hoc an-
cursu voluntas subjunget per
modum Admirationis. Quid ergo
ego facio, qui neque Deum respicio;
neque amo, neque illo delector? estne
possibile, ut dum ille ad Compassio-
nem movetur mea miseria, quam
peccatis commissis promerui ego ipse
hac eadem miseria mea non movear,
nec per poenitentiam atque amorem
eius, qui tantam mei miserrimi ho-
muncionis curam gerit, illa me libe-
rare contendam? deinde ulterius
dilatabit affectū per modū pro-
positi & Resolutionis. Non sic eris
deinceps, non sic, ex hoc momento om-
ne studium ad amandum serio tam
benignum Dominum, ad fugiendam
tanta causam miserie impendam

non ut Deus non amplius me respiciat, verum ut propter aliud motivum respiciat. hinc circa rem unam visam peractis, transibit ad videndam vel audiendam, vel odorandam, vel gustandam vel tangendam aliam, & similiter brevem discursum desuper faciet, & affectum ex iis aliquem qui in prima praxi positi sunt, movebit, ut in exemplo jam adducto videre licet, atque ita successivè procedendo percurreret omnia, quæ sunt sensuum objecta, reflectendo semper ad seipsum, sicut diximus, ut exercitium hoc non solum sit delectabilis occupatio, sed etiam operatio utilis.

Neque opus erit in hujusmodi exercitio magna sollicitudine, ad inveniendas rationes, sive ad motiva voluntati adducenda affectibus excitandis; quia præsumptumque sola repræsentatio objectorum, quibus sensus applicantur, adjuvante brevi discursu qui adjungitur, ad eam movendam sufficiet: præsertim si præcesserit de eadem materia meditatio per modum discursus, facile enim memoria motivorum in illa sibi ab intellectu propositorum flectetur. Si nihilominus voluntas dura permaneret, possent eidem nonnulla &c. motivis in praxi prima adjectis proponi. quo tamen casu advertendum

tendum esset, ut breviter in-
ret, ne exercitium hoc Applica-
tionis sensuum transeat in medi-
tationem per modum discursus.

Obiecta sensuum & primo oculorum. Ne autem desit materia illi, qui in huiusmodi sensuum applicatione sese exercere voluerit, sicuti in altera praxi dictum fuit, in qua re intellectus occupari posset circa personas, verba, & opera, ita dicendum nunc est, ad quid attendere sensus debeant, ut continuo cum fructu occupentur.

Oculus itaque attendere poterit, 1. ad Colorem, sitne albus an niger, an rubeus an lividus, &c. 2. ad lucem, sitne

R 5

magna